

## Beilage 43.

Aufnahme einiger zu Wachszinsigen des S. Dyonisius zu Kemnaden, und derselben Schuldigkeit zwischen 1146 — 1160.

*Ex Copia prioris Saeculi.*

In nomine Sanctae et individuae Trinitatis. Wibaldus Dei gratia Corbeiensis Ecclesiae Abbas omnibus presentibus et futuris in perpetuum notificamus universis Ecclesie Christe fidelibus presentibus et futuris, qualiter ministerialis noster Conradus de Kaminata resignavit nobis duo mancipia, quorum haec sunt nomina, Folwen et Thiedwen, quae habuerat a nobis in beneficio, pro quibus hoc a nobis efflagitavit, ut ea apud Kemnata ad Capellam sancti Dyonisi ad jus Censualium altaris daremus. Cujus Petioni libenter annuentes, easdem prenomatas faeminas censuales altaris beati Dyonisii in superdicta Capella fecimus, ita videlicet, ut per singulos annos ad idem Altare duos denarios vel tantum de Cera persolvant, et tam ipsae quam omnis posteritas earum sub lege censualium absque ullius contradictione de cetero teneantur; atque cum aliquis ex eis obierit, quicumque ejusdem altaris Provisor fuerit, optimum animal defuncti, vel si animalia non habuerit, optimam vestem illius accipiat; proximus vero haeres reliquam hereditatem tollat. Si autem herede caruerit, tota hereditas ad Altare pertineat. Volumus autem, ut tam ipsae quam posteritas earum et omnes ad summum Monasterium pertinentes, sicuti duos persolvunt denarios, ita nubentes duos persolvant solidos, quemadmodum apud nos consuetudo est. Ut autem haec nostra donatio tam Ecclesiae quam supradictis Censualibus rata et inviolabilis in posterum permaneat, Cartam hanc in testimonium factae rei conscribi et testibus annotatis Sigillo nostro Signari fecimus. Hi autem Testes affuerunt Reinhardus prepositus Caminatensis et omnes fratres ejusdem Ecclesie; Ministeriales vero Helpradus et Thidericis frater ejus, Bruno, Bernardus de Draspe, Henricus ejusdem Provisor Ecclesiae et alii multi.

(L. S.)

## Beilage 44.

Conradus de Kaminata duo mancipia Abbati Corb. ea conditione resignat, ut ad capellam S. Dyonisii apud Kaminatam darentur.

*(ex aut.)*

In nomine sancte et individuae Trinitatis. Wichboldus dei gratia Corbeiensis ecclesie abbas. omnibus presentibus ac futuris in

perpetuum. Notificamus universis ecclesie Christi fidelibus presentibus et futuris. qualiter ministerialis noster Cuonradus de Kaminata resignavit nobis duo mancipia. quorum hec sunt nomina. Folwen et Thieclwen. que habuerat a nobis in beneficio. pro quibus hoc a nobis efflagitavit. ut ea apud Kaminatam ad capellam sancti Dyonisii ad jus censualium altaris daremus. Ejus petitioni libenter annuentes. easdem prenominatas feminas censuales altaris beati Dyonisii in supradicta capella fecimus. ita videlicet. ut per singulos annos ad idem altare duos denarios. vel tantundem cere persolvant. ac tam ipse quam omnis posteritas earum sub lege censualium absque ullius contradictione de cetero teneantur. atque cum aliquis ex eis obierit. quicumque ejusdem altaris provisor fuerit. optimam animal defuncti. vel si animalia non habuit. optimam vestem illius accipiat. proximus vero heres reliquam hereditatem tollat. si autem herede caruerit. tota hereditas ipsius ad altare pertineat. Volumus autem ut tam ipse quam postere earum. ac omnes ad summum monasterium pertinentes. sicuti duos persolvunt denarios. ita nubentes duos persolvant solidos. quemadmodum apud nos consuetudo est. Ut autem hec nostra donatio tam ecclesie. quam supradictis censualibus rata et inviolabilis in posterum permaneat. cartam hanc in testimonium facte rei conscribi ac testibus annotatis sigillo nostro signari fecimus. Hi autem testes affuerunt. Reinhardus prepositus Kaminatensis ac omnes fratres ejusdem ecclesie. Ministeriales vero Helpradus et Thiedericus frater ejus. Bruno. Bernhardus de Draspe. Heinrichus ejusdem provisor ecclesie et alii multi.

### Beilage 45.

Einige freien Standes werden Wachsinsige der seligen Maria in Kemnaden. 1150 bis 1160.

*Ex Originali.*

In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Ego Conradus Dei gratia Corbeiensis aeccliesiae abbas omnibus Christi fidelibus praesentibus et futuris in perpetuum. Notificamus universitati vestre. quod quidam homines libere conditionis. se Domino Deo et beatae MARLÆ in Kaminatensi aeccliesia absque alienjus contradictione obtulerunt. et in jus censualium ad altare ipsius. et sanctae Margaretæ sese dederunt. ea conditione ut quisque eorum singulis annis Hos Denarios vel tantundem cerae persolvat; et in presenti albam valde bonam in testimonium hujus facti Sanctis obtulerunt. Nomina autem eorum haec sunt: Athelwart. et soror ejus Hileka cum tribus pueris suis. quorum no-